MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV)

Klosterneuburg, Anfang 14. Jh. Seite 208v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

amemus. adoremus. ut in eius misericordia de astutia dyaboli triumphemus. Dyabolus ad nos corrupta feminea mente surrepsit. christus ad nos liberandos ex incorrupta feminea carne processit. Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat.

Sermo unde supra.

Laudem domini loquetur os meum. eius domini per quem facta sunt omnia. et qui factus est inter omnia. patris reuelator. matris creator. filius dei de patre sine matre. filius hominis de matre sine patre. magnus in die angelorum. paruus in die hominum. Verbum deus ante omnia tempora uerbum caro oportuno tempore. conditor solis. conditus sub sole. conditor solis. cuncta secula ordinans de sinu patris. hodiernum diem consecrans de utero matris. Ibi manens hinc procedens. effector celi et terre. sub celo exortus in terra. ineffabiliter sapiens. sapienter infans. mundum implens. in presepi iacens. sydera regens ubera lambens. ita magnus in forma dei. breuis in forma serui. ut nec ista breuitate magnitudo illa minueretur. nec illa magnitudine breuitas ista premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit opera diuina deseruit. nec attingere a fine usque ad finem fortiter et disponere